



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

Quomodo ad instructione[m] fidei pertineat seque[n]s liber Ecclesiastes,  
uanitas uanitatu[m], & o[mn]ia uanitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)



Fons oris iustitiæ sine dubio hæc ipsa scriptura nobis est. Hunc enim haurimus illud quod ore ad salutem confitemur, & quod confitendo iustificamur. Vocatio capitis ipsa est sancta scriptura nobis, quia per ipsam uocat nos ad se caput Christus, ut membra eius effici mereamur. Dentium signa sunt hæc omnia, quia non nisi dentibus & plectro linguæ formata sonant hæc elementa, ut legi uel audiri possit omnis sancta scriptura, de tam paucis elementis tam multipliciter conscripta.

**¶** Be ammiranda fidei potentia, maxime in hoc dicto. Sindonem fecit, & uendit & cingulum tradidit Chananeo. Caput .VIII.

**¶** Inter cætera pulchræ huius laudationis capitula: quoniam cuncta pertractare nostri propositi non est: etenim nimis longum esset: istud intactum prætereire non patior. Sindonem fecit & uendit, & cingulum tradidit Chananeo. Denique sunt & cætera quidem ualde splendida, & secundum metaphoram Prophetæ &

fortissimæ mulieris multum ad rem siue mysterium pertinentia: ab eo quod ait, quæ fuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum, usque ad id, syndonem fecit & uendit, sed longe supra metaphoram est id, quod ait, & cingulum tradidit Chananeo. Quid enim? Nunquid proba mulier, sicut solet querere lanam & linum, & operari consilio manuum suarum, sicut solet de longe portare panem suum, & de nocte id est mane surgere, sollicita unde det prædam domesticis suis & cibaria ancillis suis, sicut solet inopi manum suam aperire & palmas suas ad pauperem extendere, hisque & alijs modis circa ministerium frequens satagere: sic solet etiam Chananeo cingulum tradere? Ergo hoc supra metaphoram est. Diligentiam adhibemus, sicut in cæteris, ita & in isto intellectum querimus, maxime propter illud quod dictum est in anterioribus parabolis. Acceptus est regi minister intelligens, iracundiam eius inutilis sustinebit. Dicimus itaque cum uoce gratiarum actionis, quia

totiens hæc mulier fortis Chananeo cingulum tradit, quotiens præpotens fides quempiam, qui fuerat apud homines contemptibilis, altissimo deo regi magno acceptum reddit.

**¶** Chananeus quippe contemptibilis, immo & execratus deo fuit, cum adhuc esset in lumbis patris sui Cham, dicente Noe: Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Item secundo: Benedictus dominus deus Sem, sic Chanaan seruus eius. Itemque tertio: Dilatet deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan seruus eius. Valde ergo contemptibilis Chanaan, cuius septem gentes ad introitum filiorum Israel, deo iudice, terra eum mere debuit, quod & fecit. Contra fides ualde potens & ualde nobilis, quæ Chananeo tali homini, uel cuiilibet simili huic secundum ignobilitatem seculi, cingulum tradere potuit, ut præcinctus ambulet ob meritum fidei quam suscepit: filius regni, qui fidem non habent iacentibus & discinctis, aut etiam in captiuitatem ductis.

**¶** Quemadmodum dicit sanctus Iob: Balthem regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum. An non & Apostolus hoc dicit? Sed quæ stulta sunt mundi (ait) elegit deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit deus, & quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret. Cuncta hæc & stulta, & infirma, & ignobilia, & contemptibilia, & quasi non existentia: recte intelligis uno nomine Chananeus, quem domina fides & syndone sua uestire, & cui cingulum pro uelle suo tradere potuit & tradidit, & sola hoc fecit, ut qui seculo in honoris habebatur, honoratus incedat coram oculis domini, & in conspectu quoque hominum magnorum siue paruulorum, qui domestici sunt eiusdem fidei.

**¶** Quomodo ad instructionem fidei pertineat sequens liber Ecclesiastes, uanitas uanitatum & omnia uanitas. Caput .IX.

**¶** Actenus à nobis habitus sermo, intentionem prouerbiorum spectare demonstrauit ad instructionem fidei, ex qua iustus uiuit: nunc iuxta propositum demonstrandum est, intentionem libri Ecclesiastes in eo esse, ut certam præbeat rationem spei, scilicet in quo non sperare, & in quo spem suam ponere debeat homo

rationalis. Hoc facere ita incipit. Vanitas uanitatum dixit Ecclesiastes; uanitas uanitatum & omnia uanitas. Quid habet amplius homo de uniuerso labore suo, quo laborat sub sole, subauditur, nisi uanitatem? Sic à sole incipiens, quod pulcherrimum est opus creatoris, & excelssimum cunctorum, ex quibus uita mortalium subsistit & delicias parat sibi, cuncta uani

Prouerbio. 31  
Cingulum tradidit Chananeo

Prouerbi. 34.

Chananeus al  
legorice homo  
in hunc  
mundo contem  
pibilis dicitur.  
Gene. 9.

Leui. 20

Iob. 32  
I. Cor. 1.

Ecci. 1





uanitatis arguit. & ueraci utiq; redargutioe. Præterit enim (ait & Apostolus) figura huius mundi. ¶ Nec semel dixisse contentus, uanitas uanitatū, iteq; ac tertio repetiuit, uanitas uanitatū & omnia uanitas, ut anaduertas, quam serio loquat uel agat. p̄missa etiā autoritate regij nominis & ciuitatis Hierusalē. Ait em̄: Verba Ecclesiastes, filij David, regis Hierlm. Tribus magnis nominibus pro utilitate audientiū parauit huic libro autoritatem, seipsum nominans Ecclesiasten, id est, concionatorem, filiū David, & regem Hierusalē. ¶ Quid primū est sub sole, in quo spem suam cupidus homo posuit? Vtiq; terra. Et in hoc mira dementia est, quia cum habitatio terræ huius homini, propulso à felicitate paradyfi, data fuerit ad poenam, scilicet, ut in sudore uultus sui operaretur eam, ipse sibi eam precipere cōtendit, quasi ad gloriā. Nōne hoc est uanū, cū dicit hō natus ex tereno, & cras moriturus Hoc tantum terræ est meū, & mei sunt isti tractus? Bene ergo in primis cupiditatem suæ possessionem terræ, uanitatis arguit. Dicendo, generatio præterit, & generatio aduenit, terra aut̄ in æternum stat. Ac si aperte dicat: Frustra homines cupidi, terrā sibi subiugare, agrum agro copulare contenderunt usq; ad terminū loci, contentione nonnunquā horribili usq; ad effusionē multi sanguinis: quia tot generationibus prætereuntibus, & tot aduenientibus, terra hic remansit, nec illos secuta, qui iam præterierūt: nec illos secutura qui adueniunt siue aduenturi sunt. Generatio præterit, sicut nascendo in hunc mundum nihil attulit, ita moriendo nihil auferre potuit: & generatio quæ aduenit, siue nos ipsi qui nunc sumus (ut uerbis loquar Apostoli) sicut nihil intulit in hunc mundū, haud dubiū quin nec auferre quid possumus. ¶ Eandem intentionē & in isto, quod ait: Generatio præterit, & generatio aduenit, & in cæteris quæ sequuntur, quæcunq; uanitatis arguit, prudenter intellege: quia ipsa est, quā idē Ap̄s, præmissa (ut iam memorauim⁹) nihil em̄ intulimus in hūc mundū, haud dubiū quin nec auferre quid possumus, protinus expressit, dicens: Habentes autē alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitū & perditionem. Radix enim omniū malorū est cupiditas. Quam quidem appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Quid aliud dicit Ecclesiastes, totiens repetendo, uniuersa uanitas & afflictio spiritus? Hoc etiam dicens inter cætera, quid enim proderit homini de uniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? cuncti dies eius doloribus pleni sunt, nec per noctem mente requiescit.

¶ Quomodo iure uanitatis arguuntur omnia quæ fecit deus sex diebus in computatione diei septimi, in quo requieuit.

Caput X.

**M**agnum est scripturæ huius negocium, & magnum concionis huius emolumentum; si, concionatore isto loquente, præ oculis habens duo opposita hæc, hinc uanitatem, & inde ueritatem; & inter utrunq; clare discernas, & legitima diffinitione utrunque diffinias. Est autem hæc diffinitio uanitatis, quam Paulus Apostolus satis breuē pene expressit, dicendo: præterit enim figura huius mundi. Vanū quippe constat esse omne quod præterit, & prætereundo possessorē siue cupidū sui, fallit & eludit. Porro ueritatis diffinitionem, quam aliam dare possumus dignam, nisi ut dicamus, ueritatem illud esse quod semper id ipsum est? Illud enim, quia non præterit neminem fallit, neq; contingit in hac optima parte, quod euenit in parte uanitatis, his de quibus scriptū est, dormierunt somnum suum & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis.

¶ Et quidem illud, quod semper est id ipsum: Eamus ad caput libri, ad initium scripturæ ueritatis, quia illic est magnum & euidentis ostium rationis, unde possumus ueritatem à uanitate certis disparare terminis. Sex quippe diebus omne opus suum cœlum & terram & oēm ornatū eorū p̄fecit, & die septimo opus suū cōpleuit. De quo uidelicet die septimo, me in alio opere dixisse memini, quia natura primus est, qui ordine septimus habetur. Vnde & de illo die, quo dixit deus, fiat lux et facta est lux, et diuisit lucem ac tenebras: non sic scriptum est, factumq; est mane et uespere dies primus: sed, factumq; est uespere et mane dies unus. Sex quippe dies sunt omniū creaturarū, sex primæ species, per quas creator cognoscitur. Propter quod et dicuntur dies, id est, oculos cordis nostri, ad cognoscendum creato-

H 2 remil

i. Cor. 7.  
Tria nomina  
hic Salomōis  
ad maiore aut  
toritate libri.

Vanitas in ter  
renorum con  
cupiscentia.  
Gene. 3.

i. Tim. 6  
Nihil intulim⁹  
in hunc mun  
dum &c.

Ecci. 2

Discernendū  
ex Ecclesiaste  
inter uanitatē  
& ueritatem.

i. Cor. 7

Psalm. 75  
Quomō diffē  
runt sex dies  
creatōis a die  
septimo